

462

460

466

451

456

regione montium situatus, et aquae ibi ebullientes de solo dividuntur in diversas mundi plagas. Nam undique ibi de solo emanant aquae et concurrunt et in flumina ingentia crescunt. Ibi ebullit fons Saus dictus et in rivulum crescentis contra orientem tendit per longissimas regiones et multa flumina in se recipit et ingens effectus Pannonias, inferiorem et superiorem, et Hungariam totam transcurrit, demum apud Taurinum Danubio nostro miscetur eumque valde roboret et augmentat. Per hunc fluvium Saus volunt aliqui Argon traxisse navem Jasonis capto aureo vellere a Colchis, et cum usque ad loca montium illorum venissent, ubi fluvius innavigabilis est, ipsam navem humeris in Adriaticum deportavere mare, vel ab hoc loco ipsam navem in Plabem fluvium submiserunt, per quem in Adriaticum venerunt. De illa Argonautarum navigatione diversa reperiuntur supra Fol. 192 b. et Fol. 150. Et ibi quid sit aureum illud vellus posui. Et in speculo nat. Libr. VI. cap. 78. dicit Vincentius, quod aureum vellus sit res quaedam ex mari generata, nobilissima pretiosissimo vellere. Antiqui enim maria et flumina sacra aestimabant navigatione Jasonis et Argonautarum; tendunt etiam hoc loco aliqua flumina in septemtrionem, aliqua ad austrum, aliqua ad occidentem.

Verum hanc Jasonis et Argonautarum navigationem aliter explicat Diodorus Siculus L. V. Antiquarum historiarum, eamque per multa terrarum et marium circumducit spatia, dicens ut 3. supra folio: Argonautae cum Octam vicissent, Colchidem spoliassent et aureum vellus rapuissent, cum optato thesauro navigaverunt a Ponto in Maeotim paludem, per ejus profunditates trahentes in Tanais fluvii ostia, per quae paludi illabitur, venerunt, ubi viribus excitatis conatu magno contra aquam navem traxerunt usque in ejus fontes, qui in pede Riphaei montis emanant grandemque fluvium efficiunt, qui dividit Asiam ab Europa. Cumque amplius navigandi locus non esset, gigantes illi fortissimi navem suam grandem, longam et onustam thesauris, levantes de flumine, eam per arduissimos ascensus Riphaeorum montium portaverunt in humeris, et percurso longo montium itinere ex alia parte in Sarmatię Europae devenerunt, quae est Scythia Europaea, in qua ferociissimae sunt gentes, ab armorum usu Sarmatae dictae. Per hos nave transportata eam in fluvium Thersinum deposuerunt, per quem descendentes usque in ejus fauces in oceanum Sarmaticum vene-

29 *

Ende

Anfang

